6.

Programm

des

Gymnasiums der Stadt Pyritz,

womit

zu der öffentlichen Prüfung am 10. April

ergebenst einladet

Dr. Adolf Zinzow,

Director.

Inhalt:

1. De stasimo Philoctetæ fabulæ Sophocleæ primo commentatio. Part. prior. Scr. Dr. J. Janke.
2. Schulnachrichten mit der Rede zum Siegesfest vom Director.

Pyritz, 1865.
Druck von Ed. Giese.

Philoctetæ, fabulæ Sophocleæ, stasimum primum (v. 676—729), quod accuratius tractare mihi proposui, ita legendum esse censeo, ut infra scripsi.

676. Λόγῳ μὲν ἐξήκουσ', ὄπωπα δ'οὐ μάλα, στρ. ά.
τὸν πελάταν λέκτρων ποτὲ τῶν Διὸς
Ἰξίονα κὰδ δρομάδ' ἄμπυκα δέσμιον ὡς
ἔβαλ' ὁ παγκρατὴς Κρόνου.
680. ἄλλον δ' οὔτιν' ἔγωγ' οἶδα κλύων, οὐδ' ἐσιδὼν μοίρᾳ
τοῦδ' ἐχθίονι συντυχόντα θνατῶν,
ὃς οὔ τι ῥέξας οὔτε νοσφίσας,
ἀλλ' ἴσος ἔν γ' ἴσοις ἀνήρ,
685. ὤλλυθ' ὧδ' ἀναξίως.
τὸ δὲ θαῦμά μ' ἔχει,
πῶς ποτε, πῶς ποτ' ἀμφιπλή-
κτων ῥοθίων μόνος κλύων,
πῶς ἄρα πανδάκρυτον οὕ-
690. τω βιοτὰν κατέσχεν.
῞Ιν' αὐτὸς ἦν πρόσουρος, οὐκ ἔχων βάσιν, ἀντ. ά.
οὐδέ τιν' ἐγχώρων κακογείτονα,
παρ' ᾧ στόνον ἀντίτυπον βαρυβρῶτ' ἀποκλαύ-
σειεν αἱματηρόν, οὐδ'
695. ὃς τὰν θερμοτάταν αἱμάδα κηκιομέναν ἑλκέων
ἐνθήρου ποδὸς ἠπίοισι φύλλοις
κατευνάσειεν, ἔκ τε γᾶς ἕλοι
φορβάδος, εἴ τις ἐμπέσοι.
700. εἶρπ' ἄρ' ἄλλον ἄλλοτ' ἄν,
εἰλυόμενος,
παῖς ἄτερ ὡς φίλας τιθή-
νας, ὅθεν εὐμάρει' ὑπάρ-
χοι, πόρον, ἁνίκ' ἐξανεί-
705. η δακέθυμος ἄτα.
Οὐ φορβὰν ἱερᾶς γᾶς σπόρον, οὐκ ἄλλων στρ. β'.
αἴρων, τῶν νεμόμεσθ' ἀνέρες ἀλφησταί,
710. πλὴν ἐξ ὠκυβόλων εἴποτε τόξων πτα-
νῶν πτανοῖς ἀνύσειε γαστρὶ φορβάν.
ὦ μελέα ψυχά,
715. ὃς μηδ' οἰνοχύτου πώματος ἥσθη δεκέτει χρόνῳ
λεύσσων δ' ὅπου
γνοίη, στατὸν εἰς ὕδωρ
αἰεὶ προσενώμα.

Νῦν δ' ἀνδρῶν ἀγαθῶν παιδὸς ὑπαντήσας, ἀντ. β'.
720. εὐδαίμων ἀνύσει καὶ μέγας ἐκ κείνων·
ὅς νιν ποντοπόρῳ δούρατι, πλήθει πολ-
λῶν μηνῶν, πατρῴαν ἄγει πρὸς αὐλὰν
725. Μηλιάδων νυμφᾶν,
Σπερχειοῦ τε παρ' ὄχθαις, ἵν' ὁ χάλκασπις ἀνὴρ θεὸς
πλάθει θεοῖς,
θείῳ πυρὶ παμφαής,
Οἴτας ὑπὲρ ὄχθων.

Edixerat Helenus ab Ulixe captus Philocteta ad Troiam expugnandam eiusque sagittis opus esse: missi sunt igitur Ulixes et Neoptolemus, qui reducerent eum cum illis. Cum autem ob arcum sagittasque venenatas formidabilis esset, dolo tantum Ulixe consente capi et reduci potest; dolo igitur et mendaciis eo usque iam profecerunt, ut Philoctetes fore ut in patriam reducatur speret, atque pro beneficio hoc maximo arcum attrectandum Neoptolemo iam sit daturus. Abeuntibus vero in antrum ambobus, unde herbas sumat dolorem lenientes Philoctetes, chorus in scena remanet et canticum incipit, quod pulchritudine sane optimum quodque æquiparat. Depingitur autem, ut dicamus breviter, lenissimis suavissimisque querellis conditio Philoctetæ miserrima, addita in extrema parte læta fiducia exitus boni. Sapienter vero poeta egit, quod eo potissimum loco hoc carmen inseruit, ubi actio requiescit paullulum, ut animos ad se ipsos quasi revocaret, antequam ad excitatissimos mox surriperentur modos Philocteta in ipsa scena dolores perferente vehementissimos. Nec vero Philoctetes illas de conditione miserrima sententias debebat ipse pronuntiare, neque Neoptolemus, ne animus eius natura iam mollior talibus commiserationibus nimis commoveretur, ac perderet ita dolum ab Ulixe institutum.

Primum vero chorus gravissimam esse Philoctetæ calamitatem, quam unquam perpessus sit mortalis, conqueritur: pati enim virum iustum et omni culpa vacuum miserias hominis scelestissimi (v. 676—685). Aperte his verbis comperimus, Philoctetam semper innocentia atque integritate usum nulla contaminatum esse culpa, neque quam ipse crimine aliquo in se admiserit (v. 683 sq.), neque quam susceperit a majoribus; sed prorsus immerito atque indigne eum pati (v. 685). Nam quod Servius ad Verg. Aen. III. 402 Philoctetæ pedem dicit sagittæ casu vulneratum esse, quo attigerat tumulum Herculis, quem contra eius voluntatem Græcis poscentibus indicaverat, id fictio videtur esse posterioris temporis. Sophocles aliam certe secutus est famam, ‚ex qua Philoctetes, quod aram Chrysæ, in qua sacrificare Achivi debebant, investigasset, a serpente custode eius vulneratus esse perhibebatur.' [1])

Non ob crimen igitur ab ipso commissum neque maiorum ob culpam vir inter omnes iustissimus (v. 684) incidit in hoc infortunium, sed ‚providentia divina', id quod verba nos docent Neoptolemi (v. 192 sqq.), qui rex consilio atque intellegentia ceteris præstat hominibus (v. 137 sqq.), vel, si mavis, ‚invidia deorum', ne hic in Troiam dirigeret invicta dei tela ante tempus, quo dicebatur eorum opera expugnanda esse (v. 195—200), id quod ipse opinatur Philoctetes v. 776 sqq. Tam gravis autem miseria viri est, ut chorus, quomodo eam pertulerit omnino, miretur (v. 686 sqq.). Et permagno ei profecto animi robore voluntatisque firmitate opus erat, ne succumberet doloribus, quorum ne adspectum quidem alium præter se facile passurum fuisse confitetur v. 533 sqq.

Uberius tum chorus singula miseræ conditionis perscribit: ipse sibi erat vicinus Philoctetes, cum vix promoveret pedem ægrotum, neque quemquam haberet incolarum, apud

[1]) cf. Phil. v. 1327. sqq., 266 sqq., 194. Wunderi præf. pag. 10. 13 sq. ed. sec.

quem mærorem suum deploraret, neque qui fervidum sanguinis profluvium, si incideret, lenibus herbis sisteret, aut eas certe carperet ex terra: immo ipsi erant petendæ, quando profluvium remisisset. Non habebat porro aliud quidquam cibi, nisi quod arcu suo sibi compararet maximo labore; atque pro vino aqua tantum stagnante fruebatur (v. 691—719).

Admiramur sane indolem poetæ præclaram atque excelsam, qua omnibus his rebus una consociatis misericordiam maxime incitatum iri intellexerat, atque eo præcipue, quod Philoctetam solum in insula Lemno ab hominibus non habitata expositum depinxerit, Euripide fuisse multo superiorem censemus, qui Actorem Lemnium addidit Philoctetæ familiarem. [2])

Maxime quidem chorus his Philoctetæ aerumnis commotus est: attamen animo iam præsagit, mox fore ut ille, cum nactus sit Neoptolemum fortium virorum filium feliciter ex illis malis evadat domumque redeat (v. 720—729).

En vero sententia quam excelsa! Philoctetes, quod insons atque integer miserias summas patitur decem annos, idcirco honores postea accipiet summos: arcu enim suo invicto decernet pugnam gravissimam atque eo assequetur immortalitatem; ei vero cui magni in futurum honores tribuuntur, multa antea et gravia sunt suscipienda. Idem acciderat Herculi, qui, priusquam virtute sua assequeretur immortalitatem, variis casibus iactabatur; id quod ipse narrat Philoctetæ v. 1418 sqq. Ideoque Philoctetes malorum affinis dici potest Herculi, quod uterque nactus est immortalitatem, deorum invidia laboribus maximis superata. Atque quod chorus præsagit tantum, hoc ipsum Hercules confirmat, ubi relicta sede divina voluntati Iovis obedire et Troiam redire Philoctetam iubet, ut liberatus miseriis illis immortalitatem consequatur et vita posthac fruatur gloriosa, v. 1421 sq. Hæc de argumento cantici. Veniamus ad singula.

V. 676 sqq. Recte sententiam loci explicat Buttmannus neminem esse inter eos, quos viderit chorus, atque unum tantum inter eos, de quibus audiverit, cuius sors sorte Philoctetæ fuerit miserabilior. Est Ixion. Recte autem chorus ei, quod ipse vidit, plus tribuit fidei, quam quod audivit. Verbis igitur λόγῳ μὲν ἐξήκουσ', ὄπωπα δ'οὐ μάλα se de Ixionis illa fabula non certa comperisse dicit; se eam audivisse quidem, sed nescire, quatenus sit credibilis. Contra Philoctetæ dolores ipse et audiverat et viderat, quare iure pergit: ἄλλον δ'οὔτιν' ἔγωγ' οἶδα κ. τ. λ. Iam facile intelleges, verba ἐξήκουσ' et ὄπωπα δ'οὐ μάλα non solum coniuncta esse a poeta, ut respondeant sequentibus οἶδα κλύων, οὐδ' ἐσιδών, neque ob eam solum causam, quod ipse vidit chorus miserias Philoctetæ, id quod contendit Schneidewinus, sed quod illud præstare non vult verum esse, quod dicatur de Ixione; etenim fides illa deest, quæ efficitur adspectu (ἐσιδών). Quare, ut fides fabulæ, quam fando accepit chorus, paullulum restringatur, adduntur voces οὐ μάλα, sic fere convertendæ vernacule: ‚eben nicht‘, ‚allerdings nicht‘. Ratio eadem est inter sequentia verba οἶδα κλύων et ἐσιδών. Vide quod Wunderus dixit ad v. 910 (928).

V. 677—680. Locus difficilis varieque ab hominibus doctis temptatus, quoniam versus strophici antistrophæ non respondent. Libri: τὸν πελάταν λέκτρων ποτὲ Διὸς Ἰξίονα, κατ' ἄμπυκα δὴ δρομάδα δέσμιον ὡς ἔλαβ' ὁ παγκρατὴς Κρόνου παῖς. Triclinius δή et παῖς omisit, ante Διός inseruit τοῦ, quod Hermanno monente Gernhardus mutavit in τῶν. Iam Wunderus, cui temerarium videbatur versus manifestissime corruptos ita refingere, ut congruerent cum antistrophicis, codicum scripturam retinuit, nisi quod ex Wakefildi coniectura ἔβαλ' scripsit pro ἔλαβ'.

[2]) auctore Dione Chrys. or. LII.: αὐτὸς γοῦν ὁ Εὐριπίδης τὸν Ἄκτορα εἰσάγει, ἕνα Λημνίων, ὡς γνώριμον τῷ Φιλοκτήτῃ προσιόντα καὶ πολλάκις συμβεβληκότα. cf. Hermann. ad Aesch. I. p. 377.

Nec difficultates sustulit Brunckius. Triclinii scripturam recepit Paulus Stephanus, cuius editio in manibus mihi erat; postea Gedikius. Sed parum ad metrum apta est, de quo recte Hermannus monuit. Artificiosa autem metrorum descriptio, qualem Seidlerus de verss. dochm. p. 104 proposuit, quamvis accepta Buttmanno ad v. 693, parum satisfacit. Neque Witzschelii scriptura κατ' ἄμπυκα δρομάδα δέσμιον ὡς, ἔβαλεν | παγκρατὴς Κρόνου παῖς, probari potest propter δρομάδα male productum. Dindorfii sive Bæumleinii [3]) scriptura: 'Ιξίον' ἀν' ἄμπυκα δὴ δρομάδ' ὡς ἔβαλ' ὁ | παγκρατὴς Κρόνου παῖς, eam ob causam displicet, quia vinciendi vocabulum in commemorando Ixione deesse non potest: vide modo Eur. Herc. fur. v. 1297. Schol. Phil. 677. Schol. Eur. Phœn. 1203. (ed. Schütz), et quod libri veteres cum ipso Triclinio omnes habent δέσμιον. Ne ἀνά quidem aptum videtur, immo præpositione κατά bene significatur Ixionem desuper in orcum esse deiectum.

Omisso Erfurdtio et Gernhardo, quorum alter male 'Ιξίονα omisit, alter nimis recedit a codicum scriptura, venio ad Hermannum. Is recte quidem Triclinianum τοῦ mutavit in τῶν; nam syllabam productam metrum requirit, articulum verborum sententia. Iam vero quod ad reliquam emendandi rationem Hermanni pertinet scribentis: * * * * βαρυβρῶτ' ἀποκλαύ- | σειεν αἱματήρ', οὐδ' vereor, ut ei quisquam assentiat. Qua quidem ratione id lucratus est, ut verba strophica, quæ exhibent libri, retinere posset paene integra; at quod lacunæ signis positis scripsit αἱματήρ', solum ut servaret negationem οὐδ', hoc ipse audacissimum facinus visum iri concessit. At neque altera, quam proposuit, [4]) emendandi via satis probari mihi potest servaturo 'Ιξίονα et in antistropha οὐδ'. Nunc enim breviter moneo me in antistropha nihil censere mutandum esse — id quod postea luculentius exponetur — quia nemini, qui verba antistrophica ab omnibus libris ita, ut legimus, verba strophica autem aliter a libris vett., aliter a Triclinio exhiberi consideraverit, dubium poterit esse, quin lex metrorum ex antistropha ducenda sit.

Iam cum Hermannus [elem. doctr. m. p. 369] iambum anapaesti loco positum defendat, fieri possit, ut metrum quis anapæsticum in his versibus agnoscat, quod ad numerum verborum videretur aptissimum, præsertim ubi adspexerit verba antistrophæ παρ' ᾧ στόνον ἀντίτυπον βαρυβρῶτ' ἀποκλαύ —. Sed quia in dubio adhuc est, num iambus pro anapaesto possit scribi, cum Scholia in Aristoph. Plutum v. 487 (ed. Dind.) inter metra, quæ cum anapaestis commutentur, iambum non commemorent, anapaestica autem metra neque basin neque anacrusin admittant, vix poterit dubium esse, quin versus sint dactylici, iambica anacrusi præposita. — Iam restat, ut quo pertineat δρομάδα quæratur. Auctore scholiasta [5]) Hermannus, cum ita disponat in adnotatione verba: κατ' ἄμπυκα. κατὰ τροχόν. δρομάδα δέσμιον. τὸν π. ἐν τῷ δρ. δεδ., in eo, ni fallor, persistit, δρομάδα pertinere ad Ixionem, quem dicit circumferri in cursu vinctum. 'Οξύμωρον licet optimum nec tamen hic desideratum: etenim non fit eo perspicuum, quomodo quis rotæ adstrictus cogitari possit idemque currens. Nec cursu quidem versatur Ixion, immo rotæ adstrictus in aere volvitur, id quod intellegitur ex verbis illis Ovidii (Met. 4, 460): ‚volvitur Ixion et se sequiturque fugitque' et ex Schol. Eur. Phœn. v. 1203. Δρομάδα vero referri posse ad ἄμπυκα, quis est qui neget? Etiam Romani ‚cursum rotarum' dixerunt, [6]) neque ἄμπυξ nisi addito adiectivo δρομάδα rotam significat. Quare non possum, quin δρομάδα ad ἄμπυκα referam atque probem scripturam Hermanni improbatam quidem ab ipso in ed. I. post edit. sec. revocatam in retractationibus: κἀδ δρομάδ' ἄμπυκα.

---

[3]) Zeitschrift für Alt. Wiss. 1845. Suppltfft. No. 2. 3.

[4]) præf. p. XIX.

[5]) κατ' ἄμπυκα δρομάδα δέσμιον. κατὰ τροχὸν τὸν περιφερόμενον ἐν τῷ δρόμῳ δεδεμένον.

[6]) Horat. ars poet. 22. Ovid. ex Ponto 4, 9, 10.

Δέσμιον autem recte Scholiasta coniunxit cum præp. κατά, ut penderet ea a voce δέσμιον; scriptura vero ὡς ἔλαβ' ita tantum ferri potest, si statuimus hysterologiæ figuram: ἔδησε αὐτὸν καὶ ἔλαβε pro: ἔλαβε αὐτὸν καὶ ἔδησε, ,ut Ixionem ceperit olim et rotæ adstrinxerit volventi omnipotens' [Dindorf.]. Quod ut evitetur, non displicet coniectura a Wakefildio prolata et a plurimis viris doctis accepta ἔβαλ' ὁ pro ἔλαβ' ὁ. — Iam verba ita fortasse quispiam coniungat, ut κατά pendeat a verbo ἔβαλ', voce δέσμιον autem absolute posita hæc sit structura: ὡς ὁ παγκρατὴς Κρόνου ἔβαλε κὰδ δρομάδ' ἄμπυκα τὸν Ἰξίονα δέσμιον. Verumtamen equidem faciliorem magisque ad sensum accommodatam dixerim alteram vertendi viam, qua hic evadit ordo verborum: ὡς ὁ παγκ. Κρ. ἔβαλε [sc. εἰς ᾅδου] τὸν Ἰξίονα δέσμιον κὰδ δρ. ἄμπ., ut ἔβαλε absolute, δέσμιον κ. δρ. ἀ. autem sit dictum pro: δήσας αὐτὸν ἐν δρομάδι τροχῷ, hoc quidem significatu, ut adstringeretur ibi rotæ volventi. Idem certe Pindarus indicare videtur Pyth. II, 40: ἐν πτερόεντι τροχῷ παντᾷ κυλινδόμενον, eoque modo Scholiastæ omnes sententiam loci videntur intellexisse. Quare Wundero ut assentiar moveri nequeo dicenti: βάλλειν δέσμιον dictum ita ut sit εἰς δεσμοὺς βάλλειν, nec vero Benedicto[7]) illum refutanti, δέσμιον λαμβάνειν haud dubie aptius dici pro δεσμεύειν, quam δέσμιον βαλεῖν. Metrum per librarium turbatum restituturus aliquis grammaticus rei metricæ et ipse ignarus videtur inseruisse otiosam illam particulam δή; itemque vocem παῖς, quam una cum particula δή Triclinius quoque omisit, cum Buttmanno expungo utpote e glossa verborum ordini insertam, scribens ἔβαλ ὁ παγκρ. Κρόνου. Ἰξίονα vero cur pro spurio habeam cum Solgero aliisque, nullam video necessitatem. Itaque scripsi:

str: Ἰξίονα κὰδ δρομάδ' ἄμπυκα δέσμιον ὡς
ἔβαλ' ὁ παγκρατὴς Κρόνου. quibus respondent in
antistr: παρ' ᾧ στόνον ἀντίτυπον βαρυβρῶτ' ἀποκλαύ-
σειεν αἱματηρόν, οὐδ'.

Alterum versum habes pent. dact. cat. in syll. c. anacrusi, alterum dim. troch. cat. — Restat ut pauca disseram de coniectura Seyfferti[8]) eiicientis ut manifestum glossema Ἰξίονα, defendentis particulam δή, pro δέσμιον vero scribentis αἴσιμον i. e. καθήκουσαν, κατ' ἀξίαν γενομένην. Ingeniose quidem, sed dubito, poetam ,ideo tantum mentionem fecisse Ixionis, ut iusta ac merita hominis scelestissimi poena opponeretur sorti plane immeritæ viri probi, quo vis quædam maior ac pondus accederet gravius notioni iustitiæ.' Quam desideratam esse a quoquam negaverim certe, vel ex verborum sententia prodeuntem. Nam fuisse Ixionem hominem sceleratum atque impium idioque iure ac merito pendere poenam qua neqne unquam se vidisse nec audivisse dicit poeta graviorem, res sine dubio fuit omnibus notissima Græcis; sed ne de ea quidem reticet poeta: en, mentio fit et criminis ac poenæ Ixionis meritæ quam dilucidissima (v. 676—679), et innocentiæ atque integritatis morum Philoctetæ crimine nullo contaminatorum eiusque fati miserrimi atque immeriti (v. 680—68[illegible]). Imo de ea causa potius Ixionis eiusque facinorum ac poenæ mentionem poeta mihi videtur fecisse, ut rationem haberet, qua metiretur fortunam Philoctetæ immeritam, quam quidem poeta proxime et secundum Ixionis fatum æstimat miserrimam ac tristissimam, idque eo magis, cum Philoctetes immerito prorsus in eam inciderit (v. 683—685). Quare voces etiam illas ἄλλον δ' οὔτιν' ad Ixionem referre, neque ad Philoctetam (en ratio, quam dixi), τοῦδε vero non idem esse quod ἢ τόνδε (id quod iudicant plerique, cf. Herm. ad Vig. p. 717, p. 66 X; Matth. Gr. §. 453 sq. Rost §. 109, 5. obs. 6), sed brevitate illa in comparativis usitata dictum esse pro τῆς τοῦδε μοίρας, ut pendeat τοῦδε ab ἐχθίονι neque ab ἄλλον, contendo. Nam chorus si diceret: ,alium vero neque audivi mortalium nec vidi, qui in tristius fatum inciderit, quam Philoctetam',

[7]) Benedicti observationes in Soph. Lips. 1820. p. 254.

[8]) cf. Zeitschr. für das Gymnasialwesen 1862. Oktober. p. 817.

quæro tum, quid sibi velit Ixion commemoratus? quid ἐχθίονι? tristius quam cuiusnam fatum? Hoc vero chorus dicit: ‚alium vero, quam Ixionem, neminem equidem scio, quem audiverim, neque quem viderim mortalium in tristius fatum incidisse, quam fatum huius (Philoctetæ videlicet) est‘. Itaque cur ‚iustitiæ‘ notio prematur hoc loco causam non video, neque persuaderi mihi potest de necessitate voculæ δή inserendæ, ‚quæ fabulam introducat perquam notam‘. Contra vinciendi notionem in fabula Ixionis duxisse poeta videtur necessariam, ut supra dictum est. Quare retineo eam et scripturam paullo ante a me receptam. —

V. 680 sq. Verba: ἄλλον δ' οὔτιν' ἔγωγ' οἶδα κλύων, οὐδ' ἐσιδὼν μοίρᾳ cum Hermanno et Schneidewino in unum contraxi versum ut in antistr. ὃς τὰν θερμοτάταν αἱμάδα κηκιομέναν ἑλκέων. Versus est tetram. choriamb. catal. in disyll. c. basi spondiaca. —

οἶδα κλύων. Præsens nonnullorum verborum pro perfecto ponitur, ubi indicandum est rei factæ effectum adhuc perdurare: veluti κλύειν, ἀκούειν, πυνθάνεσθαι, quorum præsens significatum habet et præsentis et perfecti. Herod. I, 69: πάντα πυνθανόμενος [ὁ Κροῖσος ἔπεμπε ἀγγέλους], ‚cum omnia esset expertus‘, Soph. Phil. v. 261: ὃν κλύεις κ. τ. λ., ‚en ille ego sum, quem fando forte audivisti Herculearum dominum sagittarum‘. Eadem igitur perfecti significatione κλύων hoc loco cum perf. οἶδα coniunctum est. 'Εσιδών habet Laur. a prima manu. Id unice probandum, quidquid obloquitur Buttmannus. Totum locum sic converto: ‚alium vero neminem equidem scio, quem audiverim, neque quem viderim mortalium in tristius incidisse fatum, quam fatum huius est.‘

V. 683. Libri: ὃς οὔθ' ἔρξας τιν'. Triclin: ὃς οὔτ' ἔρξας τιν'. Cum chorus miserias Philoctetæ et Ixionis inter se comparet, perspicuum satis est, his verbis innocentiam Philoctetæ Ixionis facinoribus opponi; quare erravit Gedikius in explicando verbo νοσφίσας. Offensioni est, quod desideratur τί et sane facillimus esset locus, ubi constaret, ἔρδειν vel ῥέζειν τινά idem esse quod πράττειν τινά, ‚interficere aliquem‘ apud Aeschylum Choeph. v. 440 ed. Dind. "Ερδειν vel ῥέζειν τινά τι significat ut ποιεῖν, δρᾶν τινά τι: ‚alicui aliquid inferre‘ veluti iniuriam; sed nunquam ἔρδειν τινά usurpatur hac significatione: etenim semper tum additur accusativus rei, ut apud Hom. Il. 3, 351. 354. 5, 373. Od. 2, 72. 18, 15. Hes. op. 300. Aesch. Pers. 236 (Dind.), aut coniungitur cum adverbio (Hom. Il. 23, 56).

Quare omnino ferri non potest scriptura ὃς οὔτ' ἔρξας τιν' omisso τί, quam plurimi receperunt editores et male comparavit Schneidewinus Ant. 371. O. C. 731. 538. Contra locis compluribus probatur in locutione ἔρδειν vel ῥέζειν τι notionem facinoris sæpe inesse. [9])

Accedit, quod apud Eustathium p. 763, 2 (667, 24), ubi de Homerico τῇ πιθόμην καὶ ἔρεξα (Il. 9, 453) disseritur, legimus: 'Ομηρικὸν δέ τι καὶ παρὰ Σοφοκλεῖ ἐν Φιλοκτήτῃ τό, οὔτε τι ῥέξας, κακὸν δηλαδή. οὕτω γὰρ νοεῖται, εἰ καὶ παντελῶς ἐκεῖ σιωπᾶται τὸ ῥεχθέν. Hermannus ex his primum coniecit, ‚veram scripturam esse ὃς οὔτι ῥέξας τιν' οὔτε νοσφίσας, quia Eustathius nisi in ipso textu sic, ut apud eum editum est, habuisset, non κακόν, sed κακόν τι addidisset‘, idemque ex Schol. Triclin. οὔτ' ἔρξας τιν'. βλαβερὸν δηλονότι conclusit. Sed cum ita in antistrophico versu post κατευνάσειεν syllabam excidisse necesse esset, neque locus ex Sept. ad Thebas allatus, [10]) neque Homeri cum nostro loco possit comparari, quia in illis antecedant, quo illic δράτω, hic ἔρεξα referantur, existimandum ipsi visum est ‚οὔτ' ἔρξας οὔτε νοσφίσας omisso τί ita dici, ut significetur: nec faciendo neque auferendo‘. Attamen primum, si interpretamur: ‚nec faciendo‘, non intellego, quid fiat de voce τιν'. Tum vero vir doctissimus in eo vereor ne erraverit,

[9]) Soph. Antig. v. 373: ὃς τάδ' ἔρδει. O. Col. 538: ἔρεξας sc. ἀνόσια. v. 732: ὡς δρᾶν τι βουληθείς, ut aliquid (facinoris) facturus; idem El. 329. cf. Herm. Vig. p. 280 et exempla in observ. ibi allata.

[10]) Aesch. Sept. ad Theb. 1074: δράτω τε πόλις καὶ μὴ δράτω τοὺς κλαίοντας Πολυνείκην.

quod ex librorum et Eustathii verbis veram scripturam esse ὃς οὔτι ῥέξας τιν' οὔτε νοσφίσας coniecit. Huic enim obstat ipse Eustathius, qui non dixit τό, οὔτε τι ῥέξας τιν', immo tantum τό, οὔτε τι ῥέξας omisso accusativo personæ τιν'. Ideoque reicienda etiam est interpretatio Nevii verborum, quæ ipse recepit: ὃς οὔτ' ἔρξας τιν' οὔτε νοσφίσας, ,neque vim faciens, neque defraudans'. Nam verbum νοσφίζειν significatu ,defraudandi' bene adhiberi valde dubitamus, quia νοσφίζομαι in Soph. O. R. v. 693 medium et locus vertendus est: si te deseram. Denique coniectura Erfurdtii ὃς οὐ φθίσας τιν' nimis recedit a codd. scriptura; Benedicto vero ,vocabulum τινά in genere neutro et sensu quidem sinistro prolatum esse' consenti vereor, ne haud multi sint assensuri.

Iam si respicio ad significatum verbi νοσφίζειν, miror sane, quod fere omnes viri docti intellegunt de furto vel raptu. Quonam vero in comparatione Ixionis et Philoctetæ pertinebit ille raptus? Num eo forte, quod Ixion dona Eioneo promissa denegavit? At hoc saltem perspicuum est, necem Eionei facinus fuisse multo gravius; illuc sine dubio refert οὔτε νοσφίσας, quare converto: ,cum neque homicidium commiserit'; etenim significatu necandi νοσφίζειν usurpatur apud Aeschylum; cum accusativo obiecti quidem in Eum. 211 (Dind.), absolute vero, ut in nostro loco, in Choeph. 438: ἔπειτ' ἐγὼ νοσφίσας ὀλοίμαν. Cui vero si suffragaris, propter sententiam enunciati omisso τιν' necesse est scribas: ὃς οὔ τι ῥέξας οὔτε νοσφίσας. Ellendtius quidem coniecit ὃς οὔ τι ῥέξας οὐδὲ νοσφίσας, at sæpe οὐ — οὔτε sibi respondent. Quare si ita convertimus locum: ,qui, cum non facinus neque homicidium commiserit', omnia facilia sunt atque concinna. Οὔ τι ῥέξας autem pertinere et ad dona Eioneo quidem promissa ab Ixione, sed denegata, et ad libidinem, qua exarserit in Iunonem Ixion ingratus, νοσφίσας autem referre ad Eioneum ab Ixione dolo malo necatum, consentaneum est.

V. 684. Quæritur, quæ iusta ac recta sit interpretatio verborum ἴσος ἐν γ' ἴσοις ἀνήρ. Hermannus, ,nemo', inquit, ,hæc aliter accipiet, quam ut æquus ille inter æquos fuisse dicatur. Nec laudant Græci, si quis iniquis æquus est, sed virtutem esse censent, æquis æquum, iniquum autem iniquis esse', cui assentitur Schneidewinus in ed. III. Buttmanno contra ἴσοις generis neutrius videtur esse hoc sensu: ,ipse iustus erat et iusta omnia eius'. Non recte. Verba enim ἴσος ἐν γ' ἴσοις ἀνήρ sententiæ antecedenti οὔ τι ῥέξας οὔτε νοσφίσας opponi apparet, nec vero explicationes illæ respondent huic chori sententiæ. Iam ex addito ἀνήρ elucet ἐν ἴσοις generis masculini esse atque ex metro antistrophæ cum Hermanno scribendum esse ἐν γ' ἴσοις. Chorus vero, cum sortes calamitatesque Ixionis et Philoctetæ inter se compararet atque illum fingeret hominem scelestissimum, qui poenas solveret iure meritoque, Philoctetam depingeret oportuit non virum, qui æquus æquis, iniquis vero iniquus esset, sed hominem, qui facinorum expers omnique culpa vacuus tamen periit tam indignis modis; neque adspectu malorum, quibus rex, ut censet Gedikius, sed quibus vir bonus ac iustus vincitur, misericordia nostra hic movetur; quare ad verum prope accedentem existimo versionem Brunckii et Dindorfii: ,sed iustitiam colens cum iustis semper', optimam vero et unice veram, in qua acquiescam, Schneidewini in ed. II. ,æquus et iustus inter æquos' i. e. δικαιότατος ἀνήρ. "Ισος ἐν γ' ἴσοις ἀνήρ igitur circumlocutio superlativi est atque secundum Schol. ἴσος. δίκαιος. ἐν ἴσοις. ἐν δικαίοις. eum significat, qui inter probos κατ' ἐξοχήν dicitur probus i. e. maxime probus, δικαιότατος ἀνήρ. Attulit Schneidewinus Pind. Pyth. 4, 281 ἐν παισὶν νέος. Nem. 3, 80. αἰετὸς ὠκὺς ἐν ποτανοῖς. Theogn. 314. ἐν δικαίοις εἰμὶ δικαιότατος, et δῖα θεάων. Cf. Bernhardy Synt. p. 154. Matth. Gr. §. 446 sub fin. Soph. Phil. 65. O. R. 459 (ed. Wund.).

V. 685. Librorum scriptura ὤλλυθ' ὧδ' ἀναξίως retinenda. Sine ulla necessitate coniecit Erfurdtius: διώλλυθ' ὧδ' ἀτίμως, Wunderus ὠλέκεθ' ὧδ' ἀτίμως. De coniectura Steinharti vide ad v. 700. Corrigi debebat versus antistrophicus. —

V. 686. Libri τόδε θαῦμ' ἔχει με. Hæc quia verbis in antistropha non respondent, varie a viris doctis temptata sunt. Erfurdtius scripsit τόδε δὴ θαῦμα μ'ἔχει, Wunderus auctore Hermanno (ed. I.) τόδε δ' αὖ θαῦμα μ'ἔχει, Hermannus in ed. II. καὶ θαῦμά μ'ἔχει, Dindorfius τόδε τοι θ. μ'ἔχει. Bergkius librorum scripturam retinet, nec non Schneidewinus, quia ex metro corrupto neque respondente scripturam poetæ negat perspici posse. Disiungo cum Buttmanno vocem τόδε et scribo: τὸ δὲ θαῦμά μ' ἔχει, ut τό sit accusativus pro κατὰ τοῦτο et idem significet quod sermone prosario τοῦτο δὲ θαυμάζω.

V. 687. sq. Eandem fere sententiam chorus pronuntiat v. 175: πῶς ποτε, πῶς δύσμορος, ἀντέχει. Versum hunc et sequentes nonnulli interpretes sic fere scripserunt post Paulum Stephanum, ut essent ionici a minore; sed si recte numeros carminis perspexi, numerus choriambicus, sicut prævalet in altera stropha, etiam in hac ponendus est. Ita vero verba divido, ut sint choriambi cum dipodia iambica, quos in duos potes contrahere versus longiores cum Schneidewino, malim vero disiungere cum Nevio. —

V. 689. Librorum scripturam κλύζων defendit solus Buttmannus, pro κλυζόμενος id dictum contendens, neque reprehendendum esse, quod homo κλύζων sive κλυζόμενος dicatur, qui in terra κλυζομένῃ habitet; at vereor, ne hæc certe argutior sit metonymia. Idem Canteri reicit coniecturam κλύων, quod illa sic tantum probabilem præberet sententiam, si pro μόνος legeretur μόνον vel μόνων. Nimirum alia eaque melior viri conditio fuisset, si præter undarum strepitum etiam bestiarum mugitum audivisset! Nos quidem Canteri coniecturam, ut unice veram, ita elegantem etiam præferimus cum Hermanno, cuius uberiorem conferas adnotationem. —

Antistrophe I. v. 691. ἵν' αὐτὸς ἦν πρόσουρος. Variæ prolatæ ab editoribus quibusdam explicationes sunt huius loci et triplex quidem ab ipso Hermanno, quare in ipsius verba iurem dicentis: ‚sæpenumero fit, ut, dum non videmus, quod ante pedes est, longinqua quæramus'. Scholiastam non recte verba interpretatum esse his: ὅπου αὐτὸς μόνος ὑπὸ ἀνέμων βαλλόμενος πρὸς ἄνεμον τετραμμένος ἦν inter omnes constat, et Hermannus ipse priorem illam interpretationem: ‚in quem locum ipse quasi secundo vento venerat', hoc est, miserrimam illum vitam sustinuisse eo in loco, ad quem ipse fortuna favente enixus esset, iam dudum reiecit. Immo concedens formas ionicas [quales attulerunt Ellendtius in lex. Soph. et Wunderus ad v. 681. ed. II.] non abhorrere a tragicorum dicendi ratione, ex qua deducendum vocabulum πρόσουρος est a voce ὅρος, in ed. II. interpretationem Brunckii ab Heathio primum prolatam: ‚ubi ipse sibi erat vicinus' adscivit, αὐτῷ non scribendum, sed subintellegendum esse censens. Atque in ea explicandi ratione fere omnes acquiescunt editores recentiores: Schneidewinus (quem conferas), Wunderus, Witzschelius, Dindorfius (‚ubi ipsemet sibi erat accola'), nec non Buttmannus. Contra Meinekius[11]) ‚Nauckius', ait, ‚dubitat de lectionis integritate, verissime admonens, si hæc sit verborum sententia, ‚ubi ipse sibi vicinus erat', necessario addendum fuisse ἑαυτῷ, id quod nescio quo iure negabat Hermannus. Scribendum videtur ἵν' αὐτός οἱ πρόσουρος. Alias quidem οἱ Sophocles cum hiatu dicit Trachin. 650. El. 195 at οὗ apud eundem. Oed. Tyr. 1257. sine hiatu habes κίχοι διπλῆν ἄρουραν οὗ τε καὶ τέκνων, et ipsum illud οἱ apud Lynceum Athenæi IV. p. 132 a'. Verum mihi quidem dativus pronominis non adeo necessarius videtur, cum coniunctum sit vocabulum πρόσουρος cum pronomine αὐτός, quo certissimum est non posse nisi Philoctetam sibi ipsum esse vicinum significari. Adde præterea quæ Bernhardy Synt. p. 286 et 287 sub fin. de pronomine αὐτὸς disseruit. Itaque abeo in sententiam Schneidewini Germanice vertentis: „wo er Nachbar war in eigener Person". Reicio denique sententia Gedikii omissa, quam attulit explicandi rationem Hermannus tertiam in retractt. p. 10,

[11]) Aug. Meineke: analecta Sophoclea pag. 317.

verba ἵν' αὐτὸς ἦν πρόσουρος ad ῥόθια referenda esse, quibus ipse solus vicinus fuerit Philoctetes. Poetam enim, qui paullo ante Philoctetam fluctus maris undique allisos ,solum audientem' finxit, interiecto uno versu eum ,solum illis vicinum' dixisse vix crediderim. —

οὐκ ἔχων βάσιν — κακογείτονα. Wunderus in eo hæsit, quod Philoctetes carere eundi facultate diceretur, quem ex diversis fabulæ locis quamquam ægre, tamen incedere constaret. Etiam Buttmanno displicuit, ,quod eadem sententia, interiecta alia diversa οὐκ ἔχων βάσιν, statim recurreret in his οὐδέ τιν' ἐγχώρων κακογείτονα'. Neque obstitit illius sententiæ Hermannus in ed. I., quod contra in ed. II. ,iniuria', inquit, ,Buttmanno illud displicet, quod eadem etc., nam cur ipse sibi vicinus fuerit, ratio redditur his, οὐκ ἔχων βάσιν, quod incedere nequiret, et οὐδέ τιν' ἐγχώρων, quod etiam si integro pede uteretur, non haberet quem adiret'. Recte. Poeta enim si dicit οὐκ ἔχων βάσιν, non perfectam eundi imbecillitatem exprimit, immo id tantum Philoctetam non ut hominem pedibus sanum potuisse incedere: quare postea cum infante comparatur, qui sine nutrice incedere conatur. Nam etiamsi constat Philoctetam non ita fuisse ægrotum, ut prorsus lecto teneretur, tamen non potest dici βαίνειν, sed ἕρπειν, id quod pluribus comprobatur fabulæ locis.[12]) Aegre tantum incedere neque in locum remotum procedere potest.[13]) Accessit malus ille vulneris odor, quo omnes, qui adpropinquabant, repellebantur. Vides igitur ex his Philoctetam ne potuisse quidem adire vicinum, etiamsi habuisset. At ne habuit quidem, quod legis in versu sequente. Retinuimus igitur οὐκ ἔχων βάσιν, quæ verba cum Hermanno (in ed. II.) causam indicare censemus, cur ipse sibi vicinus fuerit Philoctetes. Omittenda vero plane est opinio Benedicti verba ita inter se coniungenda esse, ut οὐκ ἔχων βάσιν, οὐδέ τιν' ἐγχώρων βάσιν cohæreant et ,ullum indigenarum vestigium' significent; quid enim tum sibi velit παρ' ᾧ στόνον — ἀποκλαύσειεν, me fugit prorsus.

V. 692. οὐδέ τιν' ἐγχώρων κακογείτονα. Valde inter se dissenserunt de hoc loco viri docti; verum autem is invenisse videbitur, qui quibus verbis vocabulum κακογείτονα coniungendum sit ostenderit.

Plurimæ edd. vett. post ἐγχώρων, nonnullæ post κακογείτονα commate interpungunt; illas Musgravius, Gernhardus, Erfurdtius, Hermannus sequuntur; reliqui editores cum Lessingio post κακογείτονα distinguunt. Sed antequam, quo quisque iure, diiudicamus, notio vocabuli explicetur necesse est. Legimus in Scholiis: οὐ μόνον ὅπου καλὸν οὐκ εἶχε γείτονα, ἀλλὰ οὐδὲ κακόν, παρ' οὗ ἀμοιβαῖον λόγον στενάζων ἀκούσεται. Contra hanc sententiam, ex qua κακογείτων est malus vicinus, observabant Lessingius, Gedikius, Brunckius ,non malum esse eum vicinum, a quo ἀντίτυπον στόνον, mutuum gemitum, id quod amici potius sit, exspectare possimus; quare κακογείτονα non esse κακὸν γείτονα, sed κακοῦ γείτονα statuerunt, ut κακόμαντις non sit κακὸς μάντις, sed κακῶν μάντις, et converterunt: ,neque quemquam indigenarum mali socium habens'. Assentitur Lessingio interpres Britannicus.[14]) Atqui etiam nos ad eandem sententiam pervenimus, quamquam στόνον ἀντίτυπον aliter ac Scholiasta (ἀμοιβαῖον) intellegimus: de quo postea.

Contra Lessingii et Brunckii sententiam Gernhardus, Buttmannus, Erfurdtius monuerunt aliam esse rationem eorum compositorum, quorum verba regant accusativum, veluti κακόμαντις, quod factum sit ex structura verbi μαντεύεσθαι κακά, et κακότεχνος ex τεχνάζεσθαι κακά,

[12]) v. 206: στίβου κατ' ἀνάγκαν ἕρποντος. v. 701: εἷρπε. v. 730. 985.

[13]) v. 163: στίβον ὀγμεύει. v. 290: αὐτὸς ἂν τάλας εἰλυόμην, δύστηνον ἐξέλκων πόδα πρὸς τοῦτ' ἄν. v. 701 — 703. v. 41: πῶς γὰρ — προσβαίη μακράν;

[14]) in libro: ,the tragedies of Sophocles translated into english verse. By the Rev. Thomas Dale. B. A. Lond. 1824'. Ibi hæc legis: ,κακογείτων. Not a bad neighbour, but a neighbour to evil. It must, howewer, be confessed, that the word does occasionally bear the former sense. Κακογείτονες ἔχθροι. — Callim'. —

aliam eorum, quorum verba accusativum non regant, veluti κακόδουλος, ἀγαθοδαίμων, quæ facta sint ex substantivis et adiectivis. In aliam vero inde sententiam abeunt Gernhardus et Erfurdtius, in aliam Buttmannus. Illi enim et Bæumleinius.[15]) κακογείτονα ad rationem vocis κακόδουλος factum statuentes hac voce significari malum vicinum dixerunt, nec vero cum τινά coniunxerunt, sed secuti alium Schol. qui dicit: ‚οὐδέ τινα ἐγχώρων ἔχων, παρ' ᾧ δὴ τὸν κακὸν γείτονα τὸν αἱματηρὸν στόνον ἀποκλαύσειε', ad στόνον rettulerunt nec vicini cuiuspiam, sed ipsius Philoctetæ στόνον intellexerunt κακογείτονα. Quam probavit Hermannus quoque sententiam. At quæro, num ullo modo στόνος dici possit κακογείτων? Valde miror Erfurdtium, qui pro simili habet locum ex Aesch. Prom. 205, ubi μέριμναι dicuntur γείτονες καρδίας, et iure quidem summo. Curæ enim sæpe quasi personæ finguntur, quæ cordi adhæreant, habitent in corde ibique pernoctentur, quæ hominem ubicumque sequantur tamquam umbræ,[16]) neque ullo modo ab ipso possint depelli; quamobrem iure vicini cordis possunt dici. Sed στόνον, qui existit demum eo momento, quo ex pectore emittitur in aerem, emissus vero statim effugit atque evanescit, ne vicinum quidem, nedum malum hominis vicinum dixerim. Ecce vero sententia quantopere contorta: ‚neque habens quemquam indigenarum [sine dubio vicinum, cum in locum remotum non possit procedere], apud quem gemitum malum vicinum deploret'. Philoctetes igitur alterum vicinum aditurus esset, ut alterum et malum quidem deploraret! Vides ex his dilucide κακογείτονα non ad vocem στόνον, immo ad antecedentia tantum verba οὐδέ τιν' ἐγχώρων referri posse cum Buttmanno et Schneidewino, idque eo magis, quod, ut recte hic perspexit, relatio quædam est inter πρόσουρον et κακογείτονα. Quodsi vero Buttmannus ad priorem illum Scholiastam rediens, quem ‚de improbo vicino neutiquam sane cogitasse opinatur', ‚vicinum eidem penuriæ iisdemque miseriis colluctantem' intellegit, quem vocabulo forti et vere tragico κακογείτονα poeta dixerit, ut qui præter mutuum gemitum nihil habeat quo alteri succurrat; sed ‚vel tali κακογείτονι caruisse Philoctetam', vereor sane, ut ita vir doctissimus verum perspexisse censendus sit. Primum enim quæsiverim, talis vicinus, qui eisdem miseriis colluctetur atque si alter deploraturus est dolores, suas ipse querellas depromere incipiat, quomodo succurrere alteri dici possit? Tum vero, si Buttmannus κακογείτονα pro substantivo cum adiectivo dictum esse contendit, idque contra Lessingii et Brunckii sententiam convertit: malum i. e. miserum vicinum,[17]) ad Lobeckium[18]) delego, ubi dicit: ‚non solent Græci substantivum cum adiectivo ita componere, ut compositorum eadem significatio sit, quæ fuerat appositorum; neque nobis hoc facere licere sine aliqua sententiæ mutatione exemplo sint hæc vernacula: Grossherr, Bitterklee [quibus adicio ‚Leichtsinn']; — sed apparet pleraque vocabula sic composita ex tempore ad similitudinem paucorum publice receptorum efficta et cum auctoribus ipsis et nata esse et occidisse'.

Quo quidem iudicio viri acutissimi fretus contendo hoc compositum, quod Sophocles nullo duce et exemplo finxit, idem esse quod κακῶν γείτονα, Schneidewinus autem recte convertisse: ‚Nachbar der Bekümmerniss'. Est igitur κακογείτων omnino vicinus rerum adversarum vel rebus in arduis, qui valetudine frui potest vel optima, sicut lætamur, si non soli habitamus in domo, sed habemus quem adeamus et præsto habeamus rebus adversis imminentibus;

[15]) Bæumleinius Ztschr. für Alterth. 1845. Supplementh. No. 2. 3. ad v. 678. —

[16]) cf. Hor. od. II. 16, 21. III. 1, 40; et pulchre et poetice idemque recte poeta dicit Germanicus: ‚Grillen sind mir schlimme Gäste'. —

[17]) quem vernacule fortasse diceremus einen leidigen Nachbar, einen armen Schelm von Nachbar, melius vero einen Leidensgenossen. —

[18]) Lobeck in Phryn. p. 603. cf. αἰνόπατερ, Aesch. Chœph. 315 (Dind.), Αἰνόπαρις Eur. Hec. 925. — Matth. Gr. §. 446, obs. 4. sub. fin. —

neque gradatio, quæ inest in verbis, quærenda est in imbecillitate vicini, ut hic fere evadat sensus: ,ubi ipse sibi erat vicinus, non habens incedendi facultatem, ne quemquam quidem apud quem, cum iuvari ab eo nequiret, certe mala sua deploraret, nedum aliquem qui fervidum sanguinem lenibus herbis sisteret easque ex terra carperet‘, sed potius in necessitatibus ipsius Philoctetæ, ut hæc existat sententia: ,ubi non habebat apud quem, si mærore tantum fractus esset mente atque animo, sanguinis autem profluvium quiesceret, deplorare potuisset luctum; id vero non fuisset gravissimum, quod voluntas fortis non perpeteretur: at si incidit gravissimum, cum non mente solum atque animo, sed corpore etiam esset depressus doloribus vehementissimis, si sanguis ex vulnere scateret, ubi fortissima constantia non sufficeret ad sustentandum corpus, ne tum quidem habebat qui fervidum sanguinem lenibus herbis sisteret easque ex terra carperet. Non opus igitur est verba mutare, quare non intellegimus, cur scripsisse poetam οὐκ ἔχων βάσιν. οὐδὲ πρὸς ἔγχωρον κακογείτονα Lindemannus suspicatus sit; quod vero ,Philoctetes de Lemno semper loquitur ut de insula deserta nulliusque pede trita‘, eo commoveri non possumus, ut cum Meinekio ἔγχωρον reponamus pro ἐγχώρων. Non tota insula colonis vacua erat, nam legimus ap. Hom. Il. 21, 40 Λῆμνον ἐϋκτιμένην [cf. 1, 594] et in Phil. v. 1: ἀκτὴ μὲν ἥδε — Λήμνου, βροτοῖς ἄστιπτος, οὐδ' οἰκουμένη, nec vero ἀστίπτου, οὐδ' οἰκουμένης. Recte vero Schol. ἐν ἐρήμῳ μέρει τῆς Λήμνου ἐξετέθη ὑπὸ τῶν Ἑλλήνων.

V. 693 sq. παρ' ᾧ στόνον ἀντίτυπον βαρυβρῶτ' ἀποκλαύσειεν αἱματηρόν. Sic libri omnes. Mirum autem in modum viri docti hæserunt in multitudine atque audacia epithetorum. Vitiosissimum dicit locum Wunderus; sed valde displicet eius emendandi ratio, ut taceam coniecturam[19]) Schützii audaciorem. Iam primum quod pertinet ad στόνον ἀντίτυπον, Scholiastam secuti, qui falso explicat voce ἀμοιβαῖον, Gedikius, alii intellexerunt mutuum gemitum, utpote inter duos miseros, Dindorfius convertit: ,apud quem gemitus repetentem deploraret dolores‘. Languent vero hæc æque, ac Buttmanni et Brunckii sententiæ. Pulchre quidem Bæumleinius[20]) στόνον ἀντίτυπον gemitum dicit in corde amici resonantem; attamen ipse poeta rectam explicandi viam ostendit v. 1459 sqq. et v. 188 sq. Quid enim simplicius et aptius Hermanni et Schneidewini sententia? Philoctetes cum solus in ora insulæ desertæ relictus non haberet cuius in pectore querellæ ac gemitus sui resonare potuissent, gemitum in rupibus resonantem cogitari chorus voluit, id quod aptissimum nobis videtur conferentibus v. 188 sq. et 1459 sqq. Ἀντίτυπον igitur effective quod vocant[21]) dictum est, nisi omnino propter mugitum Philoctetæ vehementissimum doloribus excitatum dici ἀντίτυπον ,rupibus repercussum‘ chorus voluit. Iure porro Hermanno non multitudo, sed audacia epithetorum, qua στόνον poeta dicit βαρυβρῶτα et αἱματηρόν, offensioni erat. Multitudo enim epithetorum nemini potest esse offensioni, qui cognitos habeat tragicos.[22]) Nec vero audacia excusari fortasse non posset, quæ magis offenderet, si unum vel alterum adiectivum solum ad στόνον esset positum. Etenim locum habes, ubi morbum Philoctetæ gravissimum atrocissimumque poeta depingit, ob eamque rem oratio altius assurgit, adeoque, ut ita dicam, altissimo fertur volatu lyrico, quo facile excusatam habeas talem epithetorum audaciam, præsertim cum notionum gradationem accepturus sis fere hanc: gemitum Philoctetæ, cum non audiatur a quopiam, in rupibus resonare [ἀντίτυπον], repercussum

[19]) proponit enim hæc: παρ' οὗ στόνος ἀντίτυπος βαρυβρῶτ' κ. τ. λ. cf. Erfurdt. comment. ad v. 689 et Gernhardi observationes p. 132 sq. —

[20]) sic vero locum explicat: ,erstlich hat er keinen Nachbar, bei dem er in Klagen — sie (?) sie sind sein einziger schlimmer Nachbar (κακογείτονα στόνον) — die in befreundetem Herzen Widerhall fänden (? ἀντίτυπον), die tieffressende, eiternde Wunde beweinen könnte‘. —

[21]) Bernh. Synt. p. 427. sub fin. —

[22]) et contulerit Aesch. Agam. v. 402 sq. Soph. Trach. 1024. 1074. Eur. Bacch. v. 990. cf. Matth. Gr. §. 444, 3.

vero ad Philoctetam sensu calamitatis aucto corpus eius atque animum cruciare (βαρυβρῶτα) sanguinemque excitare, graviter cor pectusque rodere. Facile enim intellegis poetam vulnus illud venenatum [23]) atque cruentum, utpote causam dolorum ac gemitus, in mente habuisse, cum vocem στόνον exornaret gravibus his epithetis eam fere sententiam expressurus: ‚bei dem er das nun in den Bergen wiederhallende Geseufz über die schwernagende, blutige Wunde hätte ausweinen können'. Non dixerim quidem coniecturam Hermanni, ex qua nomen aliquod opinatur excidisse, ut κάματον vel κέντρ' ὀδύνας vel σφάκελον, [24]) non esse bonam neque felicem, at necessaria non est eademque sicut coniectura Lindemanni πόνον ἐπίπονον audacior, quam ipsa poetæ verba, qualia nunc legimus. Certe non opus est nomen excidisse putare ad explicandum στόνον βαρυβρῶτα i. e. gemitum vel dolorem, qui animum cruciat ac mordet. Nonne Horatius curas dicit edaces, cruentam vero iram, atque dolorem cruentum Lucanus? [25]) Ideoque etiam nostro loco non videtur esse audacia, qua στόνος dicitur αἱματηρός, quam quæ excusari possit, maior: pro eo enim: ἀποκλαίειν αἱμάδα, quod sine dubio dici a poeta poterat, adiectivum eiusdem notionis αἱματηρόν cum voce στόνον coniunxit utpote indicans doloris causam. [26]) Quare coniecturam Bergkii, viri ill., præclaram quidem et ingeniosam, sed nimis audacem: παρ' ᾧ στόνον ἀντίτυπον | τὸν βαρυβρῶτα πόδα | κλαύσειεν αἱματηρόν· nihilominus reicio, etiamsi hac scriptura simul verba strophæ respondentia, quemadmodum leguntur in libris, retineri possunt pæne sincera cum eodem viro docto: [Ἰξίονα] κατ' ἄμπυκα δὴ δρομάδα | δέσμιον ὡς ἔβαλεν | ὁ παγκρατὴς Κρόνου παῖς.

V. 695 sqq. Scripsit Brunckius: οὐδέ γ' ὃς τάν, Erfurdtius, Schneidewinus οὐδ' ὃς deleto τάν. Retineo cum Hermanno librorum et Scholiastæ scripturam: οὐδ' ὃς τάν et metri causa et propter sensum loci, quem hic non repetam, supra vero [ad v. 692 sub fin.] luculentius attuli. —

